Debita parendi voluntate premissa haud alienum vestris videbitur excellentiis viri
que doctissimi, si homuntio ego ignorantissimus inprimis que litterarum rudimentis
imbuendus meis coram vestrarum dignitatum consessum ineptiis comparare ausim
quoniam nisi vos pios veniam daturos sperarem (quod in primis precor)
iamdudum omnia me timoris circumdedissent pericula quomodo enim puer tenera
etate ac nudo corpore existens se defendet aut militem superabit armatum ita facile vos
viri ingeniosissimi qui intimis philosophie penetralibus ac philosophico lacte educati estis me
rigoroso examinis scrutinio elinguem reddere ut vox faucibus hereat potestis, Idcirco
eximie decane vir multi laude ac pietate secundus vosque examinatores clarissimi vestris
supplico dignitatibus ut mihi sereno vultu pietateque paterna primum in bonis artibus
gradum non denegare Sed cum ceteris meis commilitonibus benigne conferre dignemini
quod si petitum fortuna secundet que me cumque feret regio semper honos nomenque vestrarum
dignitatum manebunt Valete Datum Wienne 11 martii Anno domini 1515

Joannes Wackher vestrarum
dignitatum clientulus

Joannes Waker.

Spectatiſſimis artium ac philoſophie
moderatoribus magiſtro Joanni
huber ſacre theologie baccalaureo
artiſticeq; facultatis decano
peritiſſimo Ceterisq; examin-
atoribꝰ viris omnium lrarꝫ
ſplendore Candidiſſimis